



Patriarchatus Latinus- Ierusalem  
البطريركية اللاتينية الأورشليمية  
المكتب الليتورجي  
Officium Liturgicum

## AUGUSTUS

Die 3 Augusti

Ss. Machabaeorum, martyrum.

*Ant. ad introitum*

II Mach. 7, 37

**E**go autem, sicut et fratres mei, ánimam et corpus meum trado pro pátriis légibus.

*Collecta*

Fratérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet:  
quæ et fidei nostræ præbeat incrementa virtútum,  
et múltiplici nos suffrágio consolétur.  
Per Dóminum.

LECTIO PRIOR ( propr. )

«Parati sumus mori, magis quam prævaricari.»

Lectio libri secúndi Machabæórum 7.1-2.9-14.20-21.27b-30.39-41

In diébus illis:

Cóntigit septem fratres, una cum matre sua apprehén-  
sos, compélli a rege édere contra fas carnes porcínas, flagris  
et táureis cruciátos.

Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait: « Quid  
quæris et quid vis díscere a nobis? Paráti sumus mori, ma-  
gis quam pátrias Dei leges prævaricári».

Secúndus autem in último spíritu constitútus, sic ait: «Tu  
quidem scelestíssime, in præsentí vita nos perdis, sed Rex

mundi defúctos nos pro suis légibus in ætérnæ vitæ resur-  
rectióne suscitábit».

Post hunc tértius illúditur; et línguam postulátus cito  
prótulit et manus constánter exténdit, et cum fidúcia ait: «E  
cælo ista possídeo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa de-  
spício, quóniam ab ipso me ea receptúrum spero»; ita ut rex  
et qui cum ipso erant miraréntur adolescéntis ánimam, quod  
tamquam nihilum dúceret cruciátus.

Et hoc ita defúcto, quartum vexábant simíliter tor-  
quéntes; et, cum iam esset ad mortem, sic ait: «Pótius est  
ab hominibus morti datos spem exspectáre a Deo, íterum ab  
ipso resuscitándos; tibi enim resurréctio ad vitam non erit».

Supra modum autem mater mirábilis et bonórum me-  
mória digna, quæ, pereúntes septem filios sub unius diéi tém-  
pore conspiciens, bono ánimo ferébat propter spem quam in  
Deum habébat; síngulos illórum hortabátur voce pátria fórti-  
ter, repléta sapiéntia, et femíneæ cogitatióni masculínium áni-  
mum ínserens, adulescéntióri dixit: «Fili mi, miserére mei,  
quæ te in útero novem ménsibus portavi et lac triénnio dedi  
et álui, et in aetátem istam perdúxi. Peto, nate, ut aspicias  
ad cælum et terram et ad ómnia quæ in eis sunt, et intél-  
legas quia ex níhilo fecit illa Deus et hóminum genus. Ita  
fiet, ut non tíneas carníficem istum, sed dignus frátribus tuis  
efféctus párticeps, súscipe mortem, ut in illa miseratióne cum  
frátribus tuis te recípiam».

Cum hæc illa adhuc díceret, ait adulescens: «Quem su-  
stinétis? Non obédio præcépto regis, sed præcépto legis, quæ  
data est nobis per Móysen». Tunc rex, accénsus ira, in hunc  
super ómnes crudélius desævit, indígne ferens se derísam. Et

hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens.

Novissime autem post filios et mater consumpta est.

Verbum Domini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps. 118. (10.11.12.13.14) (R.14 a)

R̄. In via testimoniórum tuórum delectátus sum.

1 In quo mundábit adulescéntior viam suam?

In custodiéndo sermónes tuos. R̄.

2 In toto corde meo exquisivi te,  
ne erráre me fácias a præcéptis tuis. R̄.

3 In corde meo abscondi elóquia tua,  
ut non peccem tibi. R̄.

4 Benedíctus es, Dómine;  
doce me iustificatiónes tuas. R̄.

5 In lábiis meis  
numerávi ómnia iudícia oris tui R̄.

6 In via testimoniórum tuórum delectátus sum  
sicut in ómnibus divítiis. R̄.

ALLELUIA

Mt. 5,9,10

R̄. Allelúia. V̄. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter  
iustítiam, quóniam ipsórum est regnum cælórum.  
R̄. Allelúia.

EVANGELIUM

«Calicem meum bibetis»

✠ Lectio sancti Evangélii secúndum Matthaéum 20, 17-23

In illo témpore :

Ascéndens Iesus Hierosólymam assúmpsit duódecim discípulos secréto et ait illis in via: «Ecce ascéndimus Hierosólymam, et Fílius hóminis tradétur princípibus sacerdotum et scribis, et condemnábunt eum morte, et tradent eum géntibus ad illudéndum et flagellándum et crucifigéndum, et tértia die resúrget».

Tunc accéssit ad eum mater filiórum Zebedaí cum filiis suis adórans et petens áliquid ab eo. Qui dixit ei: «Quid vis?» Ait illi: «Dic ut sédeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam et unus ad sinístram in Regno tuo».

Respóndens autem Iesus dixit: «Nescítis quid petátis; potéstis bíbere cálicem quem ego bibíturus sum?» «Dicunt ei: «Póssumus». Ait illis: «Cálicem quidem meum bibétis, sedére autem ad dexteram meam et sinístram non est meum dare illud, sed quibus parátum est a Patre meo».

Verbum Domini.

*Super oblata*

Mystéria tua, Dómine, pro sanctórum Mártyrum tuórum honóre devóta mente tractémus:  
quibus et præsidium nobis crescat et gáudium.  
Per Christum.

*Ant ad communionem*

Io 15, 13

Maiórem caritátem nemo habet, ut ánimam ponat quis pro amicis suis, dicit Dóminus.

*Post communionem*

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus:

ut quorum memóriam sacramenti participatióne recólimus,  
fidem quoque proficiéndo sectémur.

Per Christum.